pularis,& è medio sumta,& congrua rebus,& luce sua juvans potius memoriam,quàm judicium inani & [illegible] acumine confundens. Sed nobis ipsis danda hic opera est, ne in vitium incidamus quod reprehendimus , grandem nimirum & translatam & ampullosam dictionem.

Tres in universùm *laudes orationis* mihi esse videntur: *claritas, veritas & elegantia*. Nam *utilitas* ipsarum potius rerum est. *Clara* est oratio cuius omnium vocabulorum significationes notæ sunt, tantùm attendenti. *Vera* est oratio, cujus significatum quæ sentiente & medio rectè disposito sentietur: (nam claritatis mensura intellectus, veritatis sensus) quæ unica est,& verissima veritatis definitio, quicquid etiam hactenus sit dictum , & ex qua omnes rectè judicandi Canones demonstrari possunt. Sed hoc exponere alterius loci est, tantùm exemplo eam declarabimus. Hæc oratio: *Roma ad Tiberim sita est*, ideò vera est,quia ut sentiam quod dicit,nihil aliud requiritur,quàm ut sentiens & medium rectè se habeat; sentiens nimirum nec sit cœcus,nec surdus,medium seu intervallum non sit nimis grande. His positis , si ego sim Romæ aut prope Romam , fiet ut *videam* eodem obtutu urbem & flumen , & ita urbem hanc esse ad hoc flumen , *audiam* verò urbem hanc dici Romam , Fluvium Tiberin. Similiter in abstractis,hæc oratio : *binarius est par* vera est, quia si video (audio, tango , cogito) binarium , video unum & unum , (per definitionem *binarii* ex auditu lectuve perceptam) & nihil ultra; video igitur duas partes binarii totum absolventes,unum & unum, easque inter se æquales, quia unum uni æquale est. Numerus autem cujus duæ partes totum absolventes seu integrantes sunt æquales dicitur *Par* (per definitionem *Paris* lectu audituve perceptam) Ergo qui sentiet propositum numerum esse binarium, sentiet esse parem , & ideò propositam orationem esse veram. *Elegans* est Oratio,quæ auditu lectuve jucunda est, Cùm autem de Oratione philosophica , styloque illi debito sermo sit nobis, *elegantiam* impræsentiarum prætermittemus, etsi fateamur eam ad attentionem procurandam, ad movendos animos,ad memoriam